



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.16. Leo decedit. Constantinus & Irenes Imperatores.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

ptum suo alloquio dignatus est, tum cognita viri Doctrina & pietate in Saxoniam mittit ad locum qui Vigmodus dicebatur in altera Visurgis ora, ubi Episcopatus Verdenfis & Bremensis sunt. \* Jussit etiam Rex, ut suo præsidio tutus Ecclesias fundaret, & populos in fide erudiret. Cui labori S. Presbyter insudavit adeo feliciter, ut anno secundo nempe septingentesimo octogesimo Saxones & Frisones illius Regionis ad unum omnes Christianos se futuros promitterent.

Sæcul. VIII.  
A. C. 779.

\* fuerunt.

§. XVI.

*Leo decedit. Constantinus & Irenes Imperatores.*

Constantinopoli anno Leonis Imperatoris secundo, Jesu Christi septingentesimo septuagesimo septimo Telerus seu Telericus Princeps Bulgarus ad Romanos profugus, Christiana Religione suscepta, e sacro fonte levatus est ab Imperatore, qui eum honore & amore profectus Patricium creavit, eidemque Irenem sibi sanguinis affinitate conjunctam nuptui dedit. Anno sequente Leo consentit, ut Jacobitæ Hæretici captivi ex Syria abstracti sibi sedes deligerent in Thracia, videlicet inter illos, quibus Constantinus Parens suus ante annos triginta eandem licentiam dederat. An-

Theoph.

p. 380.

Sup. lib.

XLII. §.

42. p. 382.

Sæcul. VIII. no Leonis quinto, Indictione tertia, seu  
 A. C. 780. anno septingentesimo octogesimo, sexta  
 die Febr. Dominica, quam Quinquagesi-  
 mæ nuncupamus, obiit Nicetas Patriar-  
 cha Constantinopolitanus, postquam an-  
 nis quatuordecim illam Sedem tenuisset.

Sup. lib. In ejus locum electus est Paulus Lector,  
 XLIII. in Cypro natus, Doctrina & virtute in-  
 S. 42. signis, qui ob dominantem Iconoclasta-  
 rum Hæresim repugnante animo nec non  
 vi adhibita Ordinationem accepit.

Et mirum sane! tunc primum Leo  
 Imperator prodidit, quantum Imaginum  
 cultum averfaretur, quam animi affe-  
 ctionem huc usque dissimulaverat. Nam  
 Cedr. p. 469. cum in medio Quadragesimæ duas Im-  
 gines sub cervicali Irenis Imperatricis  
 Conjugis suæ reperisset, in eam acriter  
 invectus dixit: *Sic servas fidem Parenti  
 meo Imperatori, cui horribili Sacramen-  
 to aliud jurasti?* Tum constanter affeve-  
 rantem eas Imagines a se non visas repu-  
 lit, & ex eo tempore ad thori consortium  
 nunquam vocavit. Dira quæstione de-  
 inde de Aulicis habita deprehendit, has  
 Icones a Palatino id est Palatii Præfecto,  
 quibusdam aliis Proceribus consciis, fu-  
 isse clam illatas. Ergo Palatinum, Ja-  
 cobum Protospatarium, seu Armigerum,  
 Theophanem, Leonem, Thomam a cu-  
 biculis, & aliquot alios Iconum Cultores  
 comprehendi jussos, immaniter cæcos &  
 tonsos,

V. Cang.  
 Gloss.

tonfos, per medium urbis ad Prætorium Sæcul. VIII.  
A. C. 780.  
duci mandavit. Inter quos vitam posuit  
Theophanes. Reliqui post exitum Im-  
peratoris (non enim plus pauculis men-  
sibus superstes fuit) Monasticum Institu-  
tum professi sunt.

Quippe Leonem, cum amore lapī-  
dum pretiosorum insaniret, cupido in-  
cessit habendi coronam, quam Heraclius  
in majore Ecclesia deposuerat; hanc i-  
gitur ex Ecclesia raptam sibi imposuit, &  
ecce! virulenti carbunculi exiverunt  
de capite ejus, & valida febre captus  
mortuus est octava Sept. eodem anno,  
Indictione quarta ineunte, cum regnas-  
set annis quinque. Successorem habuit  
filium Constantinum natum anno septin-  
gentesimo septuagesimo primo, Indictio-  
ne nona, decima quarta Januarii, atque  
rogante populo coronatum in Die Pa-  
schæ decima quarta Aprilis anno septin-  
gentesimo septuagesimo sexto. Cum Theoph.  
p. 375.  
vero Constantinus puer necdum vitæ  
decennium attigisset, Irene Imperatrix  
ipsius Mater Imperium capeflivit, &  
quia erat Catholica, ipsa regnante sa-  
crarum Imaginum Cultum libere pro-  
fiteri, atque etiam vitam Monasticam  
amplecti licuit.

## §.XVII.